



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Explicatur status controuersiæ. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

prædestinationis primæ gratiæ causam esse bonum vsum suum ipsius gratiæ, existimavit Alexander. cap. 6.

Henricus. & alij concedunt in nobis causam solum, aut conditionem sine qua non nostra prædestinationis. cap. 6.

Masilienſes cum Caſtano, & Graecis Patribus initium primæ gratiæ, & prædestinationis ex nostro libero arbitrio esse dixerunt. c. 8.

Theologi nostri varie hos Patres ab hac opinione defendunt. cap. 9.

Scholastici etiam nonnulli Masiliensibus reipsa consentiunt, licet de prædestinatione verbis aliud inducent. cap. 10.

Nullam causam, aut initium prædestinationis gratiæ ex nobis esse, contra Masiliensium auctoritatem probatur. c. 11.

Eodem modo, atque Masiliensēs, sentire eos, qui ex nobis concedunt opera bona moralia esse initium gratiæ, auctoritate etiam ostenditur. c. 12.

Eadem veritas scripturæ testimoniis confirmatur. c. 13.

Eadem Catholica sententia ratione à priori monstratur. cap. 14.

Ratio eiusdem sententiæ à posteriori. cap. 15.

Quædam aduersarij obiectio. c. 16.

Argumenta Masiliensium contra Augustinum. c. 17.

Testimonia quædam contra nostram sententiam allata explicantur. cap. 18.

CAPVT I.

Explicatur status controuersię.

SOLet in principio cuiusvis quæstionis præmitti definitio eius, de quo suscipitur disputatio; ne, si id ignoretur, quod quæritur, difficilius controuersia redatur. Quare in præsentī definitio prædestinationis præmitti deberet, nisi etiam inter Doctores, qui varie in hac re opinati sunt, multis modis prædestinationi vsurperetur iuxta quam varietatem, licet eorum placita contraria videantur, nonnulla tamen reipsa sibi non aduersantur, sed sola voce differunt. Nunc ergo satis sit, primo in vniuersum supponere prædestinationem esse præfinitionem, seu ordinationē alicuius in vitam æternam, De re autem ipsa quid sentiendum, & quo pacto loquendum sit, in cursu disputationis videbimus.

Prima notatio.
Prædestinationis in vniuersum quid sit, secunda notatio.

Secundo obseruandum est, cum quæritur, an diuinæ prædestinationis detur causa, quæstio non esse de actu diuinæ voluntatis, quatenus est ipsamet essentia diuina, & res increata. Sic notat Scholasticus omnes hac disputandi cum S. Tho. in hoc art. dum loquuntur de causa nostre prædestinationis, & iidem in 3. disp. 7. cum eodem S. Tho. 2. part. qu. 24. artic. 4. disputantes, quomodo Christi prædestinatio causa fuerit nostre prædestinationis. Idem obseruauit Driedo opuscul. de concordia liberi arbitrij, & prædest. 1. p. cap. 4. ad 4. Clarum enim est, diuinę prædestinationis hoc modo non esse causam. Est ergo controuersia de prædestinatione pro effectibus accepta, & perinde est quære causam prædestinationis Dei ex parte nostra, atque causam aliquam totius effectus prædestinationis in nobis, quæ effectibus illis non sit annumeranda. Nam si quidpiam ponitur effectus prædestinationis, nequit illud illa ratione esse causa totius effectus.

Tertia notatio.
Tertio nota in actibus diuinæ voluntatis, præscientiæ, & prædestinationis, qui sunt liberi in Deo, duo esse, & ipsammet essentiam Dei, & respectum rationis ad creaturas cognitās, & volitās, sicut ex professo tractant disputat. 80. quo fit, ut li-
Vsq. in 1. part. Tomus I.

cet actus diuini, quatenus est essentia Dei, nulla sit causa, nec meritoria, ut sit, neque enim aliquis mereri potest essentiam diuinam esse, tamen mereri possit illam videre, aut possidere; nihilominus respectus illius & relationis possit esse causa: hæc enim relatio nascitur ex obiectis, ad quæ actus diuinus dicitur referri. Quare, qui est causa effectus, & obiecti dicitur esse causa illius relationis, & respectus rationis. Quocirca idem est mereri alicui effectus prædestinationis eius, atque mereri, quod diuina essentia referatur ad ipsum relatione illa rationis, qua completur, ut dicatur prædestinatio. Qua etiam ratione diximus disputat. c. 8. cap. 7. scientiam Dei, quatenus est circa futura, esse in nostra potestate, & relationem illius, non essentiam Dei, à nostra libertate pendere. Hoc pacto prædestinatio Christi causa esse potest nostre prædestinationis, & Christus nobis illam mereri, ut disputat. 94. ostendimus.

Quarta notatio.
Quarto recolendum est id, quod diximus q. 19. art. 5. nempe diuinæ voluntatis non solum nullam esse causam finalem, & motiuam per modum obiecti, sed etiam nullum esse obiectum creatum, quod possit Deo esse ratio volendi aliud, sed solum suam bonitatem posse tamen vnum creatum obiectum esse rationē & causam alterius: & ita licet Deus non velit vnum obiectum creatum propter aliud, velle tamen vnum rem creatam esse propter aliam, quia vna est causa alterius. Cum ergo quærimus de causa diuinæ voluntatis inter obiecta creata, non quærimus, vtrum aliquid sit ratio motiua Deo per modum finis, ut velit nos prædestinare, præter suam bonitatem, nihil enim aliud esse, potest, sed, vtrum possit esse ratio, ob quam velit esse effectus nostre prædestinationis.

Quinta notatio.
Quinto notat S. Thom. in hoc art. controuersiam non esse de singulis effectibus an detur aliqua causa vel occasio ex parte prædestinati: quilibet enim effectus, si alteri comparetur, causam aliquam habet ex parte prædestinati, siue illa sit finalis, siue efficiens, siue meritoria. Nam causa finalis; ob quam dantur auxilia gratiæ, sunt merita futura, & gloria; ad hoc enim datur gratia, ut mereamur; merita vero, ut consequamur vitam æternam. Præterea ipsius gloriæ causa aut efficiens, aut veluti efficiens, sunt merita, & meritorum est ipsa gratia: singulorum igitur effectuum est aliqua causa in ipso prædestinato. Quæstio igitur est, inquit S. Doctor, de omnibus effectibus simul, an omnium illorum detur aliqua causa: omnium autem eorum, nulla esse potest, nisi primi effectus aliqua causa detur. Ceterum, quavis hæc doctrina S. Thom. verissima sit; quia tamen quæstio hæc a deo celebris apud Aug. & alios Ecclesię Patres eadem omnino est, atque illa, quæ de prima gratia vocante semper fuit, ut ex parte notauimus d. 89. cap. 4. & infra etiam dicemus: ea vero fuit, an prime gratiæ, & vocationis gratiæ, præcesserit in nobis minimum aliquod meritum saltem impetratorium, aut initium, quo Deus oblata sibi occasione vocaret nos, & gratia sua preueniret: certe quæstio præfens intelligi debet de primo effectui, an illius detur aliqua causa ex parte ipsius prædestinati, non quidem finalis; de hac enim non dubitatur: sed meritoria. impetratoria, aut aliquo modo ad ipsam disponens, atque hic debet esse cardo, in quo præcipue hæc tota vertatur disputatio.

Postremo denique, ut in explicatione art. di. *Ultima notatio.*

Etum est, præfens controuersia non est, an detur in alio aliqua causa meritoria, seu imperatoria nostræ prædestinationis, sed an in nobis aliqua esse possit nostræ prædestinationis. Quomodo autem in alio detur, tractabimus solito tam hereticorum, quam Catholicorum diuersa placita, & sententias recensentibus, & ex Catholicis eas in primis, quæ à communi, & vñtata acceptione prædestinationis aberrant; hæc namque non tam re ipsa, quam voce veritati aduersantur. Vltimo tandem eorum opiniones annumeremus, qui iuxta communem August. & Patrum definitionem loquentes de prædestinatione aliter sentiunt, quam deberent, vt tandem veritatem re ipsa, & modo loquendi Sanctorum Patrum, Scripturæque magis consonam adstruamus.

CAPVT II.

Varij errores hereticorum.

5. Sunt in hac controuersia varij errores non solum hereticorum, sed etiam aliquorum virorum, qui Catholico nomine censentur, licet non tam manifesti. Referam igitur prius in hoc capite eos errores, de quibus minor est controuersia, & magis aperte damnati sunt, deinde in processu, prout ipsa disputatio postulauerit, aliorum Catholicorum sententias commemorabo, & quid contineant erroris, aut periculi, ostendam. Primus error fuit Manichæi, qui, cum negaret in nobis liberum arbitrium, & salutis æternæ in diuersum corporis temperamentum, & habitudinem ex variis constellationibus prouenientem, reiciebat. Hunc errorem eleganter confutant August. lib. 1. ad Simpl. q. 2. & Hieronym. Epist. 8. quæ est ad Demetriadem circa finem: vñt per lib. 1. de vocatione gentium ca. 14. alias 5. ante medium. In Priscillianistis eundem damnat errorem: Leo 1. Epist. 9. ad Turibium ca. 11. & Gregor. in hpmi. 10. super euang. Est autem contra Scripturam Ieremiæ 10. A signis cæli nolite timere, quæ gentes timent. Et refellitur manifeste ex illo Paulo ad Romanos 9. Ex eodem concubitu Isaac Patri nostri, &c.

Secundus error fuit Origenis, qui causam reprobationis, & prædestinationis in hac vita dicebat, esse opera, quæ fecimus in alia vita priori. Putauit enim animas creatas fuisse cum Angelis ante mundum visibilem. Eundem errorem refert Hieron. Epist. 150. quæ est ad Hedibiam q. 10. ex Platone in Timæo. Eiusdem etiam meminit idem Hieronym. in illa Epist. 8. & in magis commentarijs Epist. ad Galat. in illud 1. cap. Cum placuit ei, &c. Nullibi tamen eum tribuit Origini; recentiores vero Theologi Origeni merito adscribunt, vt Driedo opusc. de concordia lib. arbit. & prædestin. part. 1. cap. 3. & alij. Ex antiquis vero Epiphanius in Epist. ad Ioannem Episc. Ierosolym. quæ habetur in fine suorum operum, & inter Epistolæ Hieron. est 60. Dicebat enim Origenes, vt refert Epiphanius, animas hominum, & post peccata in alia vita commissa immixtas fuisse in corpora veluti in ergastula, vt pœnas antiquorum peccatorum luere, ideoque dictas fuisse Græce *Λογὰς ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν* quod est frige facio, si u refrigerio. Quia è cælo ad inferiora demissa pristinum calorem amiserunt corpus autem dictum fuisse *σῶμα* quod interpretari possumus *Cyba* hoc est, sepulchrum, vel monumentum,

Hunc errorem non obscure indicauit Origen. 3. lib. *variachon* cap. 1. circa finem his verbis. Cum ergo vna omnium sit natura rationabilium creaturarum, ex ipsa Deus secundum præcedentes meritorum causas, sicut ex vna massa figulus creauit, & plastuauit alios quidem ab honorem, alios autem ad contumeliam. Clarius 2. *variachon* cap. 8. & 9. vbi Etymologiam non inis 2. 22, id est, Anima, adducit: & in eandem causam refert, quod quidam hebetioris, alij vero acutioris ingenij nascantur. Hunc errorem damnavit 6. Synodus generalis actione 12. & Concl. Lateranense sub Leo. 10. less. 8. vbi definitur, animam esse vere formam corporis, quæ ante ipsum non fuerit producta. Et confutatur ex illo ad Rom. 9. *Antequam quidquam boni, aut mali gessent*, & ad Rom. 11. frustra enim admirans Paulus profunditatem diuini consilij, quod rami, qui naturales videbantur, scilicet Iudæi, absunderentur, & extranei inferebantur, diceret, *O altitudo diuitiarum, &c.*

Tertius error fuit Pelagij, & Cælestij, & eorū, qui Pelagiani dicti sunt, qui eodem modo de prædestinatione, & de gratia loquebantur: eandem enim antiquitus fuisse quæstionem de gratia, & de prædestinatione inter Pelagium, & Catholicos, notauimus disput. 89. cap. 4. Dicebat ergo Pelagius hominem prædestinari à Deo in vitam æternam ex meritis, & iustificatione proprii arbitrij, sicut etiam putabat, in tempore adultis beatitudinem ex meritis proprijs conferri, & sic nullam prædestinationem gratiæ, & donorum, quibus homo consequeretur vitam æternam, censere esse necessariam, quia necessitatem gratiæ ad iustificationem, & merita priorius negabat. Hoc sensu prædestinationem ad gloriam solum in decreto dandi illam confluebat, & eam ex meritis arbitrij fieri dicebat. Sed sicut fatabatur etiam nos aliquando iustificari, & vitam æternam mereri gratia Dei, quæ non ad simpliciter, sed ad facilius ista præstandum tribui existimabat: ita concedebat aliquando esse prædestinationem gratiæ ad vitam æternam, id est, æternam præparationem donorum gratiæ, quibus homo iustificaretur, & vitam consequeretur æternam; eam tamen fieri dicebat ex meritis cõdignis arbitrij, sicut etiam gratiam in tempore ex eisdem meritis dari affirmabat. Quæ omnia satis constant ex ijs, quæ ca. illo 4. diximus: eundem enim ordinem seruati in tempore, & in æterna Dei prædestinatione, vt id, quod ex meritis datur, prædestinetur ex meritis, ibidem, & ca. 9. ex natura rei, & ex mente Augustini satis probauimus, & ita eandem omnino olim fuisse quæstionem, an aliquid daretur ex meritis, & prædestinaretur ex illis.

De paruulis vero, sicut dicebat Pelagius non nasci in peccato originali, egere tamen baptismo, vt consequantur vitam æternam, assererat etiam, eos prædestinari ad gloriam per baptismum, quo iustificandi erant, & constituendi filij Dei. Id vero de baptismo paruulorū dixisse, colligitur ex Concilio Mileu. & Arelat. 2. quæ infra citabimus, & refert Aug. lib. 1. de peccat. merit. & remis. cap. 18. & 19. Nec obstat, quod idem Aug. epist. 106. post medium affirmat, ex sententia etiam Pelagij, paruulos baptizatos vitam æternam, etiam si sine baptismo de visionis Dei, sed aliam inferiorem, vt testatur idem August. c. illo 12. citato.

Hic error Pelagij, quod attinet ad adultos, damna-